

7. QUOD DEUS BENE VERTAT!
DECRETO ET AUTORITATE MAGNIFICI
AC GRATIOSISSIMI SENATUS MEDICI,
IN INCLUTA SALANA,

PRÆSIDE

VIRO

MAGNIFICO

DN. GUERNERO ROLFINCIO,
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. PRACT.
ET CHIM. PROF. PUBL. TOTIUS ACADEM.

SENIORÈ, AC HODIE RECTORE,
DOCTORE, ET PATRONO SUO MAXIMO,
SPECIMEN INAUGURALE

DE
FEBRE HECTICA,

SECUNDUM ORDINEM ET METHODUM ME-
DICINÆ SPECIALIS COMMENTATORIÆ,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, IN-
SIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME CONSEQUENDI,

PUBLICÆ CENSURÆ EXPRONIT

GVILIELMUS ZAPFIUS, VINAR.

DESIGN. MEDIC. PROVINC. SAXO-NUM-
BURGO-HENNEBERGICUS,

IN AUDITORIO MAJORI,

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS,

DIEI SEPTEMB.

ANNI M DC LXVI.

JENÆ, TTPIS SAMUELIS KREBSII.

coll. diss. A
14, 7

Dist. A. 214. (7)

Handwritten signature

Handwritten mark

REVERENDISSIMO. SERENISSIMOQUE.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
DOMINO.

MAURITIO.

SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ.
ET. MONTIUM. DUCI.

EPISCOPATUS. NUMBURGEN-
SIS. POSTULATO. ADMINISTRATORI.

THURINGIÆ. LANDGRAVIO. MAR-

CHIONI. MISNIÆ. ET. UTRIUSQUE. LUSATIÆ.

HENNEBERGIÆ. PRINCIPI. COMITI. MARCÆ.

ET. RAVENSBURGI. DYNASTÆ. RAVEN-

STEINII. BALIVIÆQ. THURINGICÆ.

VICARIO.

PRINCIPI.

PIO.

PACIFICO.

MAGNANIMO.

undiquaque

AUGUSTO. ET. INCOMPARABILI.

DOMINO. ET. BENEFACTORI. MEO.

CLEMENTISSIMO.

SALUTEM. ET. FELICITATEM!





PRINCEPS
REVERENDISSIME, SE-
RENISSIME!

Audet hic umbra-
tilis ingenii par-
tus Augusti Tui
Nominis subire
lucem, nec vere-
tur radiorum fulgure per-
stringi, quòd dulces ii sunt &
amoenissimâ Gratiarum auro-
rà mi-

râ mitigati. Rapitur jampridem attonitus orbis in venerationem virtutum Tuarum, quarum famam non inani simulacrorum ostentatione venaris, sed modestâ facti conscientia promeruisti.

Hoc satis esse poterat audaciae meae, nisi illustrium praeterea beneficiorum memoria incitarer ad Tui Nominis cultum.

Prolixum foret, tot pro-pensae in Serenissimae Tuæ Conjugis cives ferè omnes, sed parentem praecipuè me-
um

um Clementiæ specimina ce-
lebrare; sed & ambitiosum,
fratrem meum Gratiaæ Tuæ,
quã aliquô abhinc tempore
eum foves, enarratione, pro-
pria gratitudinis gloriã frau-
dare, cum & ipse domi ha-
beam, (si minùs quidem domi
habeantur, quæ in familia-
res collocata) quæ Clementiæ
Tuæ obnoxium fecêre, ut cu-
jus adulta nuper studia cre-
ditô munere maritâsti.

Majora quidem ista omni
gratitudine benefacta coli fa-
ciliùs quàm rependi charta-

ceo

ceo utique hoc munere posse
scio.

Sed & hic non infimus
Munificentiae Tuæ character
est, ne quæstuarium sit, animo-
vè nundinali munera sua cau-
ponetur. Non venditare do-
na soles, nisi eo pretio, ut
libenter debeantur: nec ali-
am clientibus mercedem im-
peras, quam animum gratum
& memorem, quò homines
cum Diis negotiamur.

Hujus ego nunc rudimen-
tum pono, cum, quod Roma-
ni bellorum Duces in more
habue-

habuerunt, tropæo huic meo
Tuum Principis mei Nomen
inſcribo, ut intelligant o-
mnes, cui me meaqué omnia
tanquàm ſacramento quo-
dam voverim.

Admitte igitur, PRIN-
CEPS AUGUSTISSIME,
religioſum cultorem, Teque
hoc donario adoleri patere.

Coeterùm faxit Deus, ut la-
crymis, quibus triftiſſimæ or-
bitatis impatiens vultus &
anxia jam aula madent, ab-
ſterſis, renideſcat quampri-
mùm Sereniſſimi oris clari-
tudo

tudo! Faxit Deus, ut renasca-
tur propediem nunc fatis in-
tercepta proles, instauratis in
aliâ natalibus, ad patriam
lætitiâ posthumis amplexi-
bus allusura, Rutæque tan-
dem Saxonicae nunc faucia
immortalitas longissimâ ne-
potum serie refarciatur.

Dabam in Athenæo Salano,

ANNO cdo lcc LXVI,

KAL. OCTOB.

SERENITATI VESTRÆ

subjectissimus

GUILIELMUS ZAPFIUS

VINARIENSIS.



Σὺν τῷ Θεῷ

PRÆLOQUIUM.

MOrbos omnes ex peccato proficisci, *Sacer Codex Matth. 9. v. 2. Marc. 2. v. 5. &c.* abundè testatur, *Siracidesq; cap. XXXVIII. v. XV.* dicit: Qui in creatorem suum peccaverit, in manus medici solet incidere. Homo enim à summo rerum autore in primordiali creatione omnis corruptionis expers conditus, perfectissimâ sanitate fruebatur: quam primùm verò seductione Diaboli præceptum divinum transgressus est, simul cum malo omnia mala deglutivit, seque & omnes posteros ex amœnissimo felicitatis cacumine in tenebrosam ac tenacissimam calamitatum voraginem præcipitavit, unde non possumus emergere sed sine fine statim iterùm detrudimur. In statu integritatis omnia ad obsequium hominis erant condita; nunc cuncta, ne elementis quidem exceptis, ex quibus nos ipsi componimur, in perniciem nostram conjurârunt. **IGNIS**, qui calore suo, tanquam primario animæ & corporis vinculo omnia viventia fovet, inque cujus extinctione mors ipsa consistit, insidioso conatu sub amicitia specie eadem destruit. **AER**, quò ne momentum ferè carere possumus, imò tamdiu vivimus, quamdiu spiramus, vel societate cum qualitatibus nobis infestis inita, perfido molimine adversus nos conspirat, vel ipsâ substan-
A tiâ

A

tiâ

riâ nos adoritur. AQUA, quâ humidum nostrum radicale nutrimus, suum quoque symbolum addit, quod apparet in deplorando hydropis affectu.

Quid multis? TERRA, nostra mater, crudelissimæ novercæ instar, venenatas herbas, animalia &c. producendo, nos persequitur, nec desistit, usque dum miseros planè absorbeat.

Attamen misericors miserator nullum humani generis malum sine remedio alialiquo reliquit. Contra morbos corporis siquidem medicinam, (quæ è venenatissimis etiam animalibus, vegetabilibus & mineralibus præsentissima quæque remedia parat) imò contra mortem ipsam corporis, animæ immortalitatem ordinavit.

Nos igitur Æsculapii vexillum hætenus secuti, loco inauguralis disputationis, consentiente ac iubente Illustri Facultate Medicâ, unam caloris seu ignis insidiarum speciem detegere, & pro viribus, remediis à Deo concessis, aggredi animum induximus.

Vocatur verò illa HECTICA, affectus licet vulgaris, exitiosissimus tamen, deformis, ideoque scitu maximè necessarius. Quid enim hominem cadaveri magis similem reddit, quàm hic ipse morbus? Quid nos miseros certius cymbæ Charontis imponit; quàm hectica confirmata?

Huic molimini ut Deus T. O. M. summus archiater adstet, nobisque ad prosperum eventum divinam suam gratiam impertiat, est quod velatis manibus oramus.

CAPUT

definitionem nominalem ag- greditur.

Affectus nostri essentiam expiscaturi usitatam ingredie-
mur viam, ac ante omnia ὀνομασολογίαν tanquam faciem
nos in penetralia cujuscunque rei essentialia deducen-
tem percurremus. Tribus illa absolvitur membris.

1. ΕΤΤΜΟΛΟΓΙΑ. Est vox origine Græca & dicitur ΕΚΤΙ-
ΚΗ ὡς τὸ τῆς ἐξέως quod *habitum* denotat. Opponitur χετικῶ,
πυρετώ, quia scil. in habitum corporis ita se insinuavit, ut,
etiã si ab humoribus & spiritibus non foveatur, tamen
subsistat, vel quia, quando radices egit, difficulter vel planè
eradicari nequeat.

2. ΗΟΜΟΝΥΜΙΑ. Sumitur vel (α.) *improprie* & qui-
dem (1.) *late* pro quacunque corporis extenuatione vel omni
febre etiã putridam, quæ δύσλυτος est, teste Joh. Heurnio tom.
2. oper. medic. lib. 1. de febr. cap. 5. & Galeno lib. 8. meth. med.
Item quando homo præ senectute moritur. (2.) *strictè*, pro eam,
quæ aliam febrim conjunctam habet: item pro symptomaticam.
(β.) *Proprie* pro morbo eoque simplici, prout opponi-
tur febri putridæ & ephemeræ.

3. ΣΥΝΟΝΥΜΙΑ. Dicitur Græcis ἐκτικὴ, πυρετὸς ἐκτικὸς.
Gariopontus lib. 6. prax. cap. 1. vocat *consuetudinariam*. Galeottus
Martius lib. de promiscua doctrinâ cap. xxix. dicit *Æthicam*
ab ardore, αἴθρων enim dicitur ardens, flagrans, comburen-
di vim habens. Verùm hoc nomen nimis *improprie* febri
hecticæ imponitur, & potius febri ardenti tribuendum est.
Inusitata insuper est in libris medicis.

Latini vocant febrim, hecticam torridam, habitualem,
tabidam, marasmoiden, marasmm, marcorem &c. Germa-
ni die Darre / ein schwindstüchtiges Fieber / licet minùs *proprie*,
competit enim significatio hæc solum febri hecticæ cum phti-
si conjunctæ.

CAPUT II.
ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑΝ sub-
jungit.

R Elicta ὀνομασία conferimus nos ad ipsam Πραγματο-
λογίαν.

Ad bonam definitionem Rhetores & Dialectici tres condiciones requirunt : (1.) Ut definitio nullam in rem aliam transferri possit. (2.) nihil in eâ redundet. (3.) nihil absit. Hæc igitur talem assignamus

DEFINITIONEM, quod sit intemperies calida morbo-
sa, in partibus solidis cordis à calore p. n. ἐν τῷ θερμάνθαι
positis accensa & medianzibus spiritibus & sanguine omnibus
partibus corporis communicata, iisque demum ita insidens,
ut etsi ab humorum incendio non foveatur, tamen subsistat,
earumque actiones lædat.

Proximum nunc est, ut definitionis hujus anatomen in-
stituamus & singula verba examinemus.

I. GENERIS loco ponitur *Intemperies* : Triplex mor-
borum constituitur genus (1.) dicitur similarium, (2.) dissi-
miliarium. 3. utrarumque partium commune, quod dicitur
solutæ unitatis. Cum verò hæc neque ad morbos secundi
neque tertii generis referri queat, necesse est, ut sit morbus
similarium partium : & cum hi sint vel intemperiei, vel totius
substantiæ, ad prius membrum erit applicanda, & dicendum,
quod hæc consistat in *intemperie*.

(2) CALIDA est intemperies. Hæc uti omnibus febribus,
ita & huic competit. Hoc ex sensu atque effectu abundè
patet. Nec attendendus *Primerosius lib. 2. de vulgi erroribus*
negans hæc esse affectum calidum, res ipsa enim
ipsum refutat.

Ἐν παραδόξῳ hîc notandum : quòd multi febris hæc
rationem formalem non solum in caliditate, verum etiam in
siccitate consistere statuunt, & ita per intemperiem calidam
& siccam definiunt : Sed hæc de re, ad evitandam prolixita-
tem, informari cupientem remittimus ad Tractatum de febr.

Dni

Dni Praesidis, ubi *cap. VI.* distinguit inter ficcitatem affectivè & effectivè, formaliter, virtualiter, essentialiter, per comitantiam, per essentiam, potentiâ & actu talem.

(3.) MORBOSA est hæc intemperies. Objiciat hîc nobis quis: nos antea dixisse: nihil in bonâ definitione debere redundare, jam verò nos definire febrim hecticam per intemperiem *morbosam*, cum tamen hoc jamtùm lateat in vocabulo *intemperiei*? Respondemus: negando, omnem intemperiem esse morbum vel *morbosam*. Quando Sol radiis suis corpus nostrum calefacit, oritur quidem intemperies, sed non statim *morbosa*, quia ad morbum plus requiritur, ut videlicet actiones & quidem sensibiliter lædat.

Sequitur nunc (4.) SUBJECTUM, quod benè discernendum, quando enim quæro: Quidnam febricitat? Resp. totus homo & dicitur *subjectum* QUOD: quando verò quæro: Secundùm quam partem homo febricitat? R. secundùm totum corpus, quod est *subjectum quò*. Cumque in omni motu locali inveniantur tria:

1. Est terminus à quò scil. motus incipit. 2. *Spatium sive medium*. 3. Terminus ad quem, ubi nempe terminatur: apparet, febris hecticæ terminum à quò esse Cor secundùm omnes partes, principaliter verò solidas & secundùm eorum opinionem, qui in septo transverso cordis calidum innatum principaliter residere statuunt, septum transversum: dicitur aliàs *subjectum* PRINCIPALE, vel CAUSALE. Terminum verò ad quem scilicet ille calor p. n. è corde tanquàm principio defertur, esse omnes corporis partes & vocatur *subjectum* RECIPIENS. Id quod confirmatur autoritate Galeni *lib. 9. meth. med. cap. 1. & lib. 1. de differ. febr. cap. 2.* Item Donatus Antonius *ab alto mari de medend. febr. part. 1. c. 12. 17. & 40.* Henr. Petrus in *nosologiâ harmon. dogmat. & hermet. tom. 2. dissert. 50. de febr. in genere thesi 51.* dicit: hectica radicem sui caloris habet in membris ipsis partibusq; solidis; ramos verò in humoribus & spiritibus. Insuper, quia calor est accidens, de subjecto in subjectum sine vehiculo quodam seu substantiâ migrare nequit, sese igitur in sanguinem & spiritus insinuat, motuq; sanguinis circulari per arterias & venas ad omnes partes devehitur.

(5.) Ne hæc definitio reliquis, quoque febribus quæ etiam in intemperie calidâ in corde ortâ & ad partes diffusâ consistunt, competat, DIFFERENTIA addita est, quæ in hoc consistit: in reliquis febribus omnes cordis partes solidæ nempe spirituosæ & humidæ intemperie quidem calidâ laborant, sed diverso modo. In ephemerâ enim spiritus seu aërea pars sanguinis sunt, ἐν τῷ τεθερμαίνεσθαι in calefacto esse; humores vero & solidæ partes ἐν τῷ θερμαίνεσθαι in calefieri. Contrâ in putridis humores sunt in calefacto; spiritus verò & partes in calefieri. Tandem in hecticâ partes solidæ sunt excalefactæ, adeò ut absque fomento in spiritibus & humoribus omnes totius corporis partes in consensum trahant.

(6.) EFFECTUS hujus febris est læsio actionum omnium totius corporis. Notum enim est, quod actiones corporis viventis à solâ animâ expediri non possint, nisi mediantibus partibus organicis suâ dispositione cuiuslibet actioni peculiariter respondentibus; hæ verò partes organicæ è partibus similaribus sint compositæ. Quia igitur febris hectica est intemperies partium similarium, ex similaribus verò constant organicæ, læsisque illis læduntur & hæ, his verò læsis actiones vel imminuuntur, vel abolentur, vel depravantur, sequitur, quòd febris hectica tanquàm morbus partium similarium lædat actiones.

CAPUT III.

initium facit ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΚΗΣ.

Quid causarum in curandis affectibus cognitio valeat, Galenus & alii testantur. Ordo igitur nunc poscit, ut de CAUSIS hecticæ solliciti simus, ubi sese offert causa IMMEDIATA & continens, inter quam & febrim nulla alia intercedit & quæ in corpore morbo proximè adhæret, est CALOR PRÆTER NATURAM in corde accensus.

Hic enim solus ad febrim hecticam fovendam potens est,

est, licet enim alia causa antecedant, omnes tamen possunt salvo remanente morbo evanescere.

Paracelsi de causâ hecticâ interrogati, sine dubio respondebunt, sulphuris accensionem solidas cordis, & totius corporis partes posuisse in calefacto esse, eamque foveri à nitro sulphureâ materiâ.

Helmontius de causâ hecticâ febris interrogatus respondit dubio procul, esse archei accensionem & deturpationem ferè totalem: adeò ut ferè succumbat, nec quod defœdatum est, expellere valeat.

Thomas Willis febres omnes ad fermentationem & effervescentiam revocans, debuisse ad species febrium descendere, & fermentationem febrili hecticâ accommodare, verùm non aggressus est hunc laborem. Capite quidem XI de synochi putrida speciebus differens, mentionem facit febris symptomaticâ in phthisicis à pulmonum ulcere aut contabescentiâ excitatâ, ac ab ulceribus & abscessibus in aliis partibus pari ratione phthisin & febrim hecticam posse oriri meminit, verùm concludit: plenam harum considerationem ejus loci non esse. Cap. 8. de febre ephemerâ dicit, ephemeram plurium dierum sive synocham non putridam post triduum facile in putridam posse transire; de hecticâ verò altum est silentium.

An hectica per fermentationem in partibus solidis à principiis fermentativis exortam explicari possit, & an diuturna spirituosarum ac sulphurearum partium sanguinis ebullitio solidas quoque partes fermentationis contagio imbuere valeat, improbable quidem haud videtur, nec tamen difficultatibus caret.

MEDIATAS REMOTIORES antequàm inquiramus, liceat obiter attingere controversiam, quæ agitur inter medicos.

Quidam asserunt: hecticam simplicem posse generari per se, sine præcedente ephemerâ vel putridâ. A partibus horum stat *Galenus* 1. de differentiis cap. 9. Advenit hæc passio nonnunquàm quidem per se ipsam, sicuti in excandescentiis vehementibusque tristitiis ac diuturnis, nonnunquàm
in arden-

in ardentibus febribus, aliquandò autem in pulmonis ac thoracis affectibus &c. Consentunt *Avicenna*, *Fernelius*, *Mercatus*. *Antonius de Gradi Mediolanensis* in tract. de febr. cap. 24. Provenit aliquandò hectica ex febribus antecedentibus sicut ex ephemerâ, causo &c. Advenit etiam hectica sine febre præcedente, sicut ex nimia tristitiâ & angustia, irâ, labore & fatigatione corporis & animâ & ex aëre sicco aut ex usu rerum calidarum, vigiliâ & coitu, & breviter omnibus quæ corpus extenuant. Hisce contrariatur *Montanus* in comment. in fen. 1. cant. 1. *Avicen. c. 2.* In hecticâ, inquit, tota substantia cordis est in calefacto esse; in ephemerâ autem & putridâ solùm in calefieri &c. Cùm autem nihil possit esse in calefacto, nisi priùs fuerit in calefieri; hectica verò in calefacto fit, eam priùs in calefieri fuisse necessum est & per consequens solida cordis substantia nisi inflammatis prius spiritibus & putrefactis humoribus corripì nequit.

Hanc controversiam decidit *Sennertus* lib. 3. cap. 1. de febr. hecticâ ita: quòd sine putridâ quidem hectica possit produci; sine accensione verò spirituum minimè. Assensum præbet *Hoffmannus* lib. de febr. cap. 29. Hoc tu dictum puta: nulla hectica fit incipiendo, sed omnis est à prægressâ vel ephemerâ vel putridâ. Id plurimis ratiociniis probat.

Putamus igitur tum autoritatibus tum rationibus persuasi, hecticam non posse generari nisi à præcedente febre etiam quâcunque, vel alio morbo.

CAPUT IV.

supranaturalium causarum facit mentionem.

Q Uamvis in primâ creatione supremum numen naturalium rerum cuilibet peculiarem naturam indiderit, suprâ quam agere nequeunt, nullumque agens aliquid producere queat, nisi patiens certâ dispositione respondeat, attamen sibi reservavit, ut pro lubitu supra ordinem naturalem agere possit. Ita legimus in S. Scripturâ, Solem

Solem tempore Josuæ, ordine naturali seposito, stetit contra naturam. Quis igitur dubitaret: Deum supernaturaliter agendo hecticam etiam in corpore humano planè non disposito, peculiariq̄ue modo producere posse. Sunt itaq̄ue SUPERNATURALES causæ. 1. DEUS, qui homines ob peccata morbis punit, *εις νοσησίαν, τιμωρίαν, ἢ ὡς δέστυμα* in castigationem, sui respectum excitandum & reverentiam, demum etiam in exemplum. 2. DIABOLUS, qui tanquam artifex & Physicus optimus agentia naturalia ad patientia applicando morbis homines vel ipse vel per sagas affligere potest. Historiam de hecticâ à Diabolo excitatâ vide apud *Meyssonerium lib. de nov. & arcanâ febr. doctrinâ.*

CAPUT V

Naturales triplices causas enarrat.

1. TEMPERAMENTUM calidum nempè & siccum designatur à Galeno de differ. febr. c. 9. Licet non negemus corpora etiam temperamenti humidi, præcedente videlicet febre putridâ vel ardente in hecticas posse incidere, sicca tamen & calida magis inclinant: sicut enim lignum aridum faciliùs accenditur quàm humidum, ita quoque comparatum est cum corporibus calidis & siccis.

2. SEXUS hîc nullam invenit prærogativam. Fœminæ quidem aliàs ob colluviem excrementorum plurimis infirmitatibus sunt obnoxia, deindè etiam in diætâ sunt intemperantiores, in affectibus animi, tristitiâ, mœrore &c. nimium excedunt; contra tamen viri sunt temperamenti calidioris & siccioris fœminis.

3. ÆTAS juvenilis & virilis magis inclinat ad hunc morbum, puerilis ob humiditatem; senilis ob frigiditatem non respondet.

HEREDITARIA DISPOSITIO, uti in plurimis aliis affectibus ita & in hoc locum habet.

B

CAPUT

causas non naturales inquirat.

Προφάσεις hæ sunt & περιπαρηκτικαὶ αἰτίαι.
 I. **AER**, qui, quantum ad nostram sanitatem, dum inspirando & transpirando corpus nostrum ingreditur, confert; tantum ad producendos affectus morbosos occupatus est, unde Columella lib. 1. de re rust. 4. ait: circumfusus aer atque corruptus plurimas affert corporibus nostris causas offensarum. Calidus & siccus ad febrim hecticam producendam suum symbolum addit, qualis est circa Syrium. Inspiratione enim per pulmones, quos sanguis continuo percurrit, calidam intemperiem sanguini & per consequens cordi inducere potest. Id apparet ex Hippocrate aphor. 16. sect. 3. νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῆσιν ἐπομβρῆσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοὶ τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ὀπίλητοι, καὶ δπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι. ἐν τὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, Φθινώδεις, ὀφθαλμῖαι, αἰσθητιδές, στραγίαι, καὶ δυσεντερίαι. *Asfidicis imbribus morbi incidunt.* Hujusmodi ferè sunt febres longa, fluxiones alvi, putredines, comitiales, apoplexia, angina. *Siccitatibus autem magnis morbi tabifici, lippitudines, articulorum dolores, urine stillicidia & intestinorum difficultates.*

FRIGIDUS aliquo modo potest causa evadere, quatenus scilicet *Ἀεττοσὴν* impediendo effluvia calida retardat, ac ita incendium in corpore causatur, quod testatur *Higbmorus* in lib. 1. disquisit. anatom. corp. hum. cap. 5. si verò cutis spiracula occludantur, calidi vapores excerni & expelli non possunt, ideoque in corpore retenti, nimium ob copiam & compressionem incalescentes accenduntur. Inde febres ephemerae & putridae.

In regionibus calidis ob aërem calidiorem hecticae frequentiores sunt.

Aërem non à Solè solùm sed & reliquis astris alterari, communis est sententia. Ita Saturnus in signis igneis ob siccitatem (si Sol sit debilis) facere hecticas tradit *Rolfincius* in ord. & meth. cognoscendi & curandi febres cap. 38. De his plura

Astro-

Astrologi. Ob μίασμα malignum in aëre hærens hecticam pestilentem posse excitari non dubitandum.

2. MOTUS & QUIES. Ille accensionem spirituum & humorum procurat; hæc digestionem ciborum exhalationemque fuliginum atque halituum impedit.

3. SOMNUS & VIGILIAE non feriantur ad producendum hoc malum. Vigiliae nimiae corpus exsiccant, spiritus calefaciunt; somnus verò nimius cruditates cumulat, & ἀναπνοῦσιν excitat.

4. CIBUS & POTUS. Hic quidem calidus nimis v. g. vina generosa eorumque spiritus destillati ob spiritus igneos, cibi itidem calidi & sicci, nimiùm aromatisati, saliti. Huc possunt referri medicamenta calidiora, hæc enim omnia assumpta suis particulis spirituosis & sulphureis massæ sanguineæ sulphureas ac spirituosas exaltant & ad effervescentiam seu ebullitionem concitant, usque dum partes solidæ tandem in consensum trahantur. Inedia sive abstinentia nimia cibi & potûs quid possit, neminem latet. Quando enim calor noster non quotidie alimentis extrâ assumtis pascitur, humores internos aggreditur ac corpus nostrum planè exsiccat.

5. EXCRETA ET RETENTA, quatenus calefaciunt, exsiccant &c. ut nimiae hæmorrhagiæ, diaphoresis, purgantia, teste *Nobiliss. atq; Excellentissimo Dn. Job. Theod. Schenkio Præceptore, Patrono ac Hospite meo æternùm devenerando, in humorum corp. burn. histor. gener. cap. 25. pag. 169. Sudorifera & purgantia exsuccum corpus reddere nemo negat. Coitus, pororum στένωσις, constipatio alvi, mensium profluvia immoderata eorumque suppressiones, V. S. nimia huc conferunt.*

6. ANIMI ΠΛΟΗΜΑΤΑ, præsertim tristitia, ira, metus, sollicitudo, quæ profectò multum disponunt ad hunc affectum. *Forestus in observat. lib. 4. de febr. hect. observat. 2. & 3. hecticas ex mœrore & melancholiâ ortas refert*. Idem scribit *Zacutus Lusitanus comment. in Gal. Ingens mœstitia ipsa oïa, nedum carnes exsiccare potest, cum nativam humiditatem conterat & absumat.*

Huc referendæ multæ res aliæ externæ v. g. balnea, calido-

lidorum vicinia &c. quæ temporis redimendi causâ merito omittimus, cum non solum hæ, sed etiam enarratæ res non naturales propriè ephemerarum & aliarum febrium sint causæ. Hoc notandum: quòd omnes febrium spiritualium & humoralium causæ vel ob vehementiam, vel ob diurnitatem possint fieri causæ febris hæcticæ. Omnes verò hîc enarrare nec tempus nec charta permittunt.

CAPUT VII

progressum facit ad præternaturales res.

UNa res præternaturalis alterius fomes esse potest & variorum symptomatum incitamentum aliorum.

A biliosis, salinis & adustis humoribus, quando p. n. cumulantur in corpore nostro, oriri potest hæctica. Febres alias posse esse ejus causas, jamtum audivimus. Ephemera plurium dierum seu Synocha imputris in inflammatione spirituum & subtiliorum sanguinis atomorum consistens, quando non citò curatur, in consensum rapit partes solidas, quæ deindè excalesactæ fovent hæcticam. De causo seu febre ardente nemo dubitavit. *Baldasar Timæus à Gùldenkleee in cas. medicinal. lib. 8. de febr. cap. 23.* mentionem facit juvenis, qui è febre ardentissimâ continuâ in hæcticam incidit. Ob vehementiam enim ignearum & Æearum atomorum corpus planè exsiccat & comburitur.

Quid notius est quàm febris hæctica ab ulcere pulmonum orta? adeò, ut etiam multi hæcticam cum phthisi confundant.

Ab aliis febribus putridis posse oriri per *μετάστασιν*, sunt qui dubitant, sed hos refutatos vide apud *Sennertum lib. de febr. 3. cap. 2.*

A febribus pestilentibus posse originem trahere dicit *Lazarus Riverius in praxeos medica lib. 17. cap. 3. de pestilentibus febribus*, quia humidum cordis absumunt celeriter.

Viscerum internorum epatis, cordis, partium thoracis, diaphragmatis, ut vidit Galenus, renum, ventriculi &c.

præ-

præprimis illarum partium, quæ cordi sunt viciniore, inflammationes cum vel sine exulceratione, tumore ac dolore &c. hecticæ parentes posse existere, practici abundè testantur.

A morbo Gallico excitatam vide apud Roder. à Fonseca tom. 2. consult. 62.

A febre catarrhali, quam describit Willis de febr. p. 310. posse generari, nullus dubito.

CAPUT VIII

differentias proponit.

Relictis causis descendemus ad DIFFERENTIAS & GRADUS febris hecticæ. Communiter ex triplici substantiâ partes solidas constitui statuitur. 1. Humidâ quâdam, quæ dicitur Ros 2. Carnosâ & adiposâ 3. Membranosâ & fibrosâ, quæ κατ' ἐξοχήν solida dicitur. Ex hac triplici substantiâ medici περιχολίαν hecticæ deduxêre. 1. Quando roridus ille humor, qui continetur in carniû cavernulis sive cisternulis, sicut in spongiâ, ut loquitur. Nobiliss. atq; Excellentiss. Dn. Joh. Theod. Schenkius absumitur, oritur primus gradus hecticæ & dicitur hectica sine tabe. 2. Quando absumto rore ipsam substantiam carnosam & adiposam aggreditur calor, hectica secundi gradus exsurgit, quæ dicitur hectica μαρμαρώδης. Et hi duo gradus secundum Sennerium & alios sunt curabiles. 3. Quando verò ipsa substantia membranosa & fibrosa consumitur, oritur μαρμαρός à μαρμαίρωμαι, macresco, tabesco, dictus, vocatur etiam hectica cum tabe, & tùm omnis spes evanuit. Antonius de Gradi Mediolan. tract. de febr. cap. 24. sequenti simili utitur in declarandis hecticæ gradibus: Prima est, cum consumitur humiditas roralis cordis & membrorum, & est simile de oleo in lampade: Secunda est, cum consumitur cambium, & est simile de oleo in bibito in ellychnio. Tertia est, cum consumitur gluten, & est simile de humido substantiali ellychnii, cum consumitur ab igne & tunc ellychnium incineratur: Riverius loco sup. cit. vocat hos gradus tempora, initium nempe augmentum & statum.

Marassi de
vaglio

statum. *Franciscus Joël in operibus medicis tomo 5. de febr. sect. 2.* contra quosdam hos gradus species dicentes insurgit: figmentum anile est, febrim hecticam in tres species distinguere, cum unicus & uniformis sit calor solidas partes vastans.

Dividitur porrò hectica *ratione concomitantie* in 1. *Simplicem*, quando videlicet non alia febris simul conjungitur. 2. *Complicatam*, cum nempe complicatur cum aliâ, idq; vel per nudam concomitantiam, quando scilicet neutra est alterius causa; vel per dependentiam, quando hectica conjungitur cum aliâ febre, quæ ipsam producit. *Fernelius* in eâ fuit sententiâ, eam febrim, quæ ab ulcere pulmonum provenit, non dicendam esse hecticam sed putridam ob vapores putridos, qui propter vicinitatem cordi communicantur illudque calefaciunt. Et huic ferè adstipulari videtur *Sennerius lib. 2. de febr. cap. 16.* Sed cur non isti putridi vapores cor longo temporis intervallo in calefacto esse ponere queant, non videmus.

Hecticam cum peste & putridâ complicari tradit *Matth. Unzerus de lue pestiferâ lib. 1. cap. 11. pag. 1269. & 1270.*

CAPUT IX

signa diagnostica aggreditur, & quidem imminentis.

INter virtutes bellicas, quibus Dux militaris clarescit, principatum obtinet vigilantia: Vigilet nempe & expiscetur: qualis hostis immineat? Vigilet, ut locum, per quem hostis irrumpere intendat, quibus itidem armis sit instructus, accuratè exploret? Vigilet, quò omnia ad resistendum præparet: imò vigilet, ut ratione circumstantiarum habitâ, ipse obviam eat, hostemque præveniat. Parili ratione vigilantia medicum valdè condecorat: laudabile quidem est, quando, medicus morbum jam præsentem profligat & eradicat: laudabilius adhuc, si ejus causam, antequàm morbus producat, eliminat: Omnium verò laudabilissi-

bilissimum, quando & causis & morbo misero corpori nostro jamjam irruptionem minantibus antevertit eosque repellit: Hæc omnia peragere nequit, nisi prius per signa morbum tanquam hostem benè exploret.

SIGNA I. *Imminentis hæctica præcedunt.* Prævidere imminentem morbum opus est magnæ dignitatis, eoque eminentius, quò nobilius, futuram ægritudinem rectâ providentiâ avertere, quàm præsentem opportunis expugnare præfidiis &c. Sunt verba *Nobiliss. Dni Præsidis lib. 3. ord. & meth. medic. spec. commentat. sect. 1. cap. 2.*

Petuntur autem à suprâ enarratis causis naturalibus nonnaturalibus & præternaturalibus.

Qui temperamento gaudent calido & sicco, in ætate juvenili constituti, caliditatem & siccitatem temporis æstivi ærisque tolerare coguntur, potu generosiori, cibusque calidioribus vel medicamentis sese nimis ingurgitarunt, excessum in motu & quiete commisere, excretorum & retentorum vitium passi, animi pathematibus nimium indulgere &c. Qui itidem ephemerâ plurium dierum, causo, putridis &c. vexantur, lassitudinem spontaneam sentiunt. Hos, dico, semper à tergo sequitur hæctica, usque dum improvisò arripiat.

CAPUT X

signa diagnostica ab essentialiter inhærentibus petita præsentis hæcticæ exponit.

INVESTIGANTUR ea respectu habito. I. AD GENUS SEU RATIONEM FORMALEM, & petuntur ex triplici fonte.

I. Διὰ τῶν ἐνεόντων κτ' τὸν τῆς ἰσίας λόγον, *ab essentialiter inhærentibus.* Calor in hâc febre sentitur mitis, ut æger nullum dolorem sentiat. Unde *Galenus lib. de inæq. in-temperie* dicit: hæctica est doloris expers, putantque, qui eâ febricitant, omninò se febre carere. Et hoc ab æqualitate prove-

prove-

provenit, dolor enim fit à contrario, hic verò calor, quia
contrario caret, vix amplius perceptibilis est. Et licet interdum
exterior calor intensior percipiatur, tamen hoc fit per
accidens, quia non calor, sed pori cutis sunt in causâ. Tan-
genti enim calor apparet primò debilis, tandem verò sen-
titur acer & mordax: nam in corporibus solidis & sicciori-
bus *ἀραιότητα* paucam ob defectum humiditatis deprehen-
dimus, paucitas tamen intensione compensatur, id quod vi-
dendum ex Chemicis, ubi spiritus è corporibus solidis me-
diante fortiori igne expressi qualitatibus longè superant il-
los, qui ex humidis leni Vulcano evocantur. Intenditur
hic calor à sumto cibo & quidem absque rigore vel alio no-
tabili symptomate. Hujus rei rationem *Galenus* eandem pu-
tat esse, quæ est effervescentiæ calcis vivæ ab aquâ affusâ.
Heurnius lib. 2. de febr. cap. 5. accusat flatus in ventriculo ge-
nitos, parulosq; habitus poros infarcientes ac ita calorem
retinentes. Alii cum aquâ lapidi candenti affusâ compa-
rant, aqua enim statim rarefcit & in vapores calidos resolvi-
tur, uti in balneariis videre est. Nos, quod tamen pace
tantorum Virorum dixerimus, putamus rem ita se habere:
Quandò æger assumsit cibum, tunc concoctione in ventriculo
absolutâ chylus per venas lacteas ad cor tanquàm officinam
sanguinis devehitur, unde *ἀραιότητα* peractâ per arterias me-
diante circulatione sanguinis in totum corpus ejusq; partes
solidas diffunditur, quò, cum pervenit, calor p. n. in insidiis
latens prorumpit noviq; alimenti partes A reas & spirituo-
sas exaltat, salinas verò & terrestres deprimat, unde collu-
ctatio & fermentatio oritur, ac dum partes A reae vel calidae
prædominantur, ruptisq; cum E linis & terrestribus symme-
triæ legibus avolant, calor sentitur major, fermentatione ve-
rò peractâ ad pristinam quietem sese componit. Hanc pu-
gnam possumus exemplo obsessæ urbis declarare: multæ enim
leguntur historiæ, ubi hostis urbem obsidione cinxit, alius
urbi fame emaciatae auxilia laturus commeatum afferre co-
natus est, unde pugna exorta, hostisq; omnem commeatum,
urbe intereâ fame pereunte, surripuit. Quandò igitur vis
certior

certior evadere, an aliquis hecticâ laboret, debes diversis diei temporibus cibum propinare, ac benè observare, an semper aliquot horis ab assumto cibo calor augeatur, quod inleparabile statuunt hecticæ signum. Calorem in arteriis magis sentiri, asseritur communiter, quia scilicet arteriæ immediatè procedunt à corde, experimentum faciunt per lotionem, à quâ reliquæ partes minùs calent, arteriæ verò pristinum calorem referunt. Volæ manuum & plantæ pedum ob terminationem ibidem arteriarum, per quarum extremitates capillares sanguis arteriosus calidus transfudat, magis calent. Calor in volis manuum intemperiem calidam, post cibum sumtum febrilem hecticam notat. Quò verò modò exactè gradum caloris deprehendere possimus, ac an auctus, an verò decrementum passus fuerit, experiamur, instrumentum quoddam mathematicum phialam nempe aquâ repletam, quod θερμόμετρον vocant, adhiberi posse putamus. Quò enim major erit calor, tantò majus evadet spatium aëre repletum, nam aër à manu calente impositâ rarefcit aquamque deprimat; quando verò calor decreverit, spatium aëreum evadet minus.

CAPUT XI

declarat signa diagnostica ἀπὸ τῶν ἐξ ἀνάγκης ἐπομείων, ex necessitate consequentibus substantialibus, post symptomatibus & quidem actionis læsæ rationalis & animalis desumpta.

Primum locum obtinet ACTIO LÆSA I. ANIMALIS, & quidem *respiratio* celer est, frigidum nempe aërem ad temperandam intemperiem discipiens. *Vigilia* ab intemperie calidâ in corde, teste *Nobilissimo quondam Viro Dn. Gottfri-*

C

Gottfri-

Gottfrido Mæbio, præceptore nostro fidelissimo, desideratissimo, in institut. med. lib. 2. cap. 10. vapores sicci ac plus justo calidiores spiritus animales agitant. Lassitudo spontanea. Signa etiam præbent carnis & adipis musculorum consumptio.

CAPUT XII

signum diagnosticum ab actione vitali & naturali læsis tractat.

Magni momenti est ACTIO VITALIS LÆSA. PULSUS hæticorum parvus, frequens, & imbecillus est. Magnus & frequens saltem apparet. Durus ob siccitatem arteriarum. Ab adsumto cibo major etiam deprehenditur.

NATURALES, ad vitalem quæ referri possunt, actiones læsæ etiam adfectum significant. NUTRITIO imminuta & tandem planè abolita excellit.

Non prætereundæ diversæ neotericorum quorundam de nutritione sententiæ: *Glissonii nempe, & Gualteri Charletonis medicorum in Angliâ celeberrimorum.* Hic enim posterior anam à priori (in tractatu de anatomia epatis inscripto) accepit. Persuadet sibi in exercitat. physico-anatom. de œconomia animali, exercitat. 5. de usu sanguinis & 10. de distributione succi nutritii per nervos: sanguinem planè nihil conferre ad nutritionem: multas adfert rationes, quarum quædam validæ, quædam verò infirmæ sunt. Ex his tandem deducit, nutritionis opus absolvi per solum succum, ut vocat, nutritium in nervis contentum, & illum ipsum esse chylum per venas lacteas ad glandulas mesenterii, thoracis &c. delatum ibiq; per nervorum sexti paris funiculos, ad modum succi alimentarii plantarum (ab imis radicibus in summa ramulorum cacumina & extremas foliorum fibrillas sursùm quasi scandentis) ad cerebrum medullamq; spinalem ascendere, ulteriusque ad motum cerebri pulsatilem, ipsorumque nervorum tensionem à somno mox factam, è cerebro & spinali medullâ ad singulas partes transmitti.

Thomas Willis in anatome cerebri cap. 20. adhuc clementior

tior est sanguini, neque omnem nutriendi aptitudinem denegat, sed statuit, succum seu laticem limpidum in sanguine extravasato apparere, & à crassamento purpureo disjungi, eidem innatare, inque scutellâ super ignem lenem positum in gelatinam albam concrefcere, hunc liquorem seu gelatinam candicantem esse ipsum succum alibilem, per arterias in totum corpus diffundi ac membranas partesque albidiores nutrire: (crassamentum verò purpureum parenchymatum musculorumque poros infarcire & enutrire putat) præterea verò succum quendam spirituosum, subtilem, animalique spiritu (ut cujus vehiculum est) dotatum è nervis (quos incolit) ad partes diffundi, qui (sicut semen masculinum ad foemininum se gerit) illum actuet, elementis activis præditus velut fermento quodam imbuat, spirituq; animali imprægnat, ac ambo deinde nutritionem absolvant. Hinc concludit *loc. cit.* huic facile erit referre, quòd impedimenta succi nervosi vitio facta nutritionis formam & non materiam ejus respiciant: nempe interdum accidit, ut sanguis materiam in debitâ satis copiâ & crasi dispenset, quæ tamen succi nervosi culpâ haud ritè assimiletur. Eodem ex fundamento putat, in phthisi emplastra cephalica opem adeò insignem sæpè præstare, cerebrum nempe corroborando, succique nervosi crasin prius vitiatam restituendo.

Charleton adducit historiam ex Hippocrate lib. 5. epidem. cap. 6. de viro extremâ macie extenuato, qui sectâ venâ, donec exsanguis fieret, integrè restitutus & brevi Convalescit. Hujus rei rationem putat esse copiosam nimis chyli ad cor in sanguinis generationem affluxionem, & contra generationis succi nutritii defraudationem: venâ verò sectâ, & ita flumine chyli converso, nutritionem restitutam fuisse. Dicit porrò in tabidorum corporibus planè emaciatis venas sufficientem sanguinis copiam in se continere, unde partes possint instaurari, quod non fieret, si sanguis sit alimentum partium.

Sed has rationes tanquàm spurias nos rejicimus. V. S, in viro illo emaciato auxilium tulit refrigerando sanguinem,

guinem, prius tùm caliditate tùm quantitate peccantem & ita nutritionem impredientem: imò ex Charletonis fundamento sequeretur, quòd, quò majorem sanguinis copiam detraxisses, eò major raptus chyli ad illum restituendum secutus fuisset, exemplo à flumine desumpto.

Quòd in tabe emaciatis corporibus multum sanguinis inveniatur, concedimus, quòd verò ille sanguis non nutriat, possunt aliæ rationes reddi: vel enim peccat in qualitate nempe caliditate, acrimoniâ &c. vel planè non peccat, sed vitium vel est in partibus solidis, calore p. n. nutritionem destruentibus, vel secundùm Willis principia ob absentiam vel vitium succi illius nervosi fermentativi, qui actuare nequit laticem nutritium sanguineum per arterias effusum.

CAPUT XIII

signa diagnostica à symptomatibus
qualitatis mutatæ, ut & excreto-
rum & retentorum desum-
ta considerat.

URINA in principio sanorum urinæ haud dissimilis, oleacea sive oleaginosa, & cui pinguedo sive moleculæ adiposæ innatant, quæque sine stridore editur, est signum hæcticæ non quidem primi gradûs, notat enim magnam colliquationem. Urina etiam interdum apparet rubicunda, idq; à calore intenso. Unde *Cous lib. 2. prenot.* quin etiam pinguedines suprâ innatantes, araneorum telas referentes damnare oportet, colliquationem namque significat. Paucior pinguedo apparet, si hætica simplex sine aliâ febre conjuncta adsit. Si confertim cum dolore ac ardore renum emittitur, adest colliquatio renum, non verò hætica, de quo fusiùs *Sennertus sæpè citatò loco lib. 3. cap. 2.*

EXCRETIO ALVI unctuosior, ejusque profluvium nimium est itidem signum magnæ colliquationis.

SUDORES

SUDORES in somno erumpentes proveniunt ab alimento à calore p. n. dissipato.

SEMINIS PROFLUVIUM observavimus in hecticâ cum phthi-
si conjunctâ, vel ob laxitatem vasorum, vel ut *Aristoteles 5. probl. 35.* ob excretricem stimulatam à colliquationibus acri-
bus ad vasa spermatica pertingentibus.

CAPILLORUM PROFLUVIUM omnis humiditatis absumptæ in-
dicium est; instar enim foliorum arborum, quandò nutrimen-
tum deficit, decidunt.

Pertinet hûc FACIES illa, quam CADAVEROSAM sive HIPPO-
CRATICAM, eò quòd Hippocrates descripserit, nuncupant,
libro nempe 1. prognost. textu 3. Ρίς ὀξεία ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρή-
ταφοὶ συμπεπρωκύτες, ὡτὰ ψυχρὰ συνεσαλμένα, καὶ οἱ λύβοι
τῶν ὠτῶν ἀπετραμένοι, καὶ τὸ δέρμα πρὸς τὸ μέτωπον σκλη-
ρύντε, καὶ πρὸς τὰ μέρη, καὶ καρφαλέον ἔον, καὶ τὸ χεῖμα τὸ
ξύμπαντ' ὡροσώπυα χλωρὸν τε, ἢ καὶ μέλαν ἔον, καὶ πιλιὸν ἢ
μολυβδῶδες. *Nares acute, oculi concavi, tempora collapsa, au-
ricule frigidae & contractæ, auriumq; lobi inversi, quin cutis circa
frontem dura, tum circumtenta & arida, colorq; totius faciei
pallidus, aut est niger & lividus & plumbeus.*

Abdomen planè deprimitur à magnâ exsiccatione: un-
gues quibusdam videntur crescere & incurvari, sed hi deci-
piuntur, nam ob cutis corrugationem unguium pars denu-
datur, quæ antea tegebatur. Incurvatio fit à calore, sicut
in tabulâ corneâ, quandò igni appropinquatur, videre est.
Hæc sunt, quæ hominem seculo planè similem reddunt, ni-
hil enim est quàm compages ossium pelle obducta, es ist
nichts als Haut und Bein an ihm.

Et sunt signa illa partim παθογνωμονικὰ, communia, par-
tim hecticæ primi & secundi gradûs, partim confirmatæ &
in ultimo gradu constitutæ competentia. Variant nempe ra-
tione vehementiæ. Imprimis autem facies illa cadaverosa,
profluvium capillorum, pulsus minor & frequentior, respi-
ratio crebrior, diarrhoea, palpebræ niçtantes & tremuli,
delirium. &c. sunt signa hecticæ tertii gradûs sive ipsius ma-
rasmi.

CAPUT XIV

signa diagnostica à causis & similitudine petit.

CAUSÆ determinare possunt ideam morbi, exque NATURALES, NONNATURALES ET PRÆTERNATURALES. Quoniam verò omnes suprâ sunt enarratæ, eas hîc ruminare superfluum erit, cum quilibet sanioris iudicii applicationem instituire facile poterit.

A SIMILITUDINE possumus etiam in cognitionem affectûs devenire. Ita sit quidam juvenis annorum præter propter 28. temperamenti calidi & sicci, corporis macilenti, à cibo sumto sentit calorem, corpus indies decrescit, lassitudo spontanea adest, sudores nocturni &c. meritò hunc hecticâ laborare statuimus. Hæc symptomata si in alio etiam occurrant, similiter hecticam adesse argumentari licet.

CAPUT XV

signa magnitudinis & temporum tradit.

Hæcticam affectum esse MAGNUM colligitur 1. κτ̄ τῆς βεβλαμμένης ἐνεργείας ἀξίωμα secundum dignitatem partis ejusque actionis. Cor enim ceu caloris focus & pars principalis patitur, ejusque actio, à quâ vita nostra dependet, læditur.

2. κτ̄ τὴν οἰκείαν ἕσιν τῆς διαθέσεως secundum propriam dispositionis essentiam, & quidem (α.) ἐκ τῶν ἐνεόντων κτ̄ τὸν τῆς ἕσιν λόγον ex essentialiter inherentes: Calor igitur tangenti primò quidem mitis, postea verò mordax, magnitudinem satis arguit. (β.) τὰ ἐπόμενα essentiam que sequuntur, si enim hæc statim in initio morbi vehementiora apparent, v. g. si colliquationes adfunt, magnitudo meritò colligitur, & sic de reliquis. (γ.) CAUSÆ ut humores biliosi, ardens prægressa, hectica in senem incidens, tempore item hiemali, quendam robu-

robustarum virium &c. aggrediens, magnitudinem nobis manifestat.

RATIONE FACULTATIS magnitudo dignoscitur, quia scilicet est morbus cordis, pulsus parvus & durus, corpus subito emaciatur, delirium, respiratio læsa, lassitudo nimia adest. Urina oleaginosa, fæces pinguedine mixtæ &c. temperamentum si habuit æger phlegmaticum, medicamenta aliàs præsentissima si nihil iuvant. Hæc omnia magnitudinem denunciant.

SIMILIS deinde morbus, similesque causæ prægressæ in alio individuo observatæ nos idem edocent.

CAPUT XVI

signa subjecti seu partis affectæ patefacit

Intemperies calida per totum corpus sensibilis, præsertim in illis locis, ubi arteriæ à corde immediatè prodeuntes terminantur, aucta deinde à sumto cibo circa *αἱματώσεως* tempus, **COR** principaliter affectum demonstrant, item pulsus imminutus, respiratio læsa, nutritio planè abolita: causæ itidem prægressæ, sexus, ætas & alia ad hunc morbum disponentia, ira præprimis, similitudo etiam in aliis, in quibus quia eodem affectu, iisdem concomitantibus symptomatibus laborârunt, cor passum fuisse compertum est, observata unanimi consensu **COR** focum hujus mali clamitant.

CAPUT XVII

causarum signa absolvit

Hætica ab ephemerâ plurium dierum orta mitiora; contra à febre ardenti fortiora habet symptomata. Quod reliquas causas spectat remittimus lætiorem ad *αἰπολογίαν*, de quâ suprâ prolixè egimus.

CAPUT

signa prognostica salutis & mortis ab essentialiter inhærentibus petita tradit.

PUlcrum est medico, non præsentem solum morbi statum detegere, sed & de futuro eventu iudicium ferre. Verùm periculosum quoque est, rem determinare velle, quam nudis tantum conjecturis assequi licet: imò à nullâ re magis medici existimatio dependet, quàm à prognosi. Aut enim eventus huic respondet, aut non? si illud, maximam auctoritatem adipiscitur & in admirationem sui omnes rapit; sin hoc, de fide ac existimatione suâ factum est.

An igitur prognosis instituenda sit? huius loci non est prolixè inquirere, sed præsupponimus, hanc secundum artis nostræ præcepta rectè institutam medico omnino competere. Unde *Hippocrates* tractatum prolixum *de prænotionibus* scripsit, *Galenus*q; in *comment.* multa addidit. Dubia verò contrà momentum remittimus ad sæpiùs citat. *ord. & meth. medic. spec. commentat. Dn. Præsidis*, ubi cuncta accuratissimè inter se sunt conciliata.

Cùm igitur hectica terminetur vel AD SALUTEM vel AD MORTEM, harum signa desumenda

AB ESSENTIA LITER INHÆRENTIBUS. Intemperies calida in hecticâ cum ut plurimum sicci atem conjunctam habeat, periculum minatur, cum primis in eminentiori gradu ὁ δὲ χρόνος τῆς θεραπείας, ait *Galenus* 7. *meth. med. cap. 5.* πολλαπλασιᾶσι τῆς ξηραῖς δυσκρασίαις. ὅιον γὰρ πὸ γῆρας ἴσιν ἰπὶ τῶν υἰαίνοντων, τοιαῦτον ἢ ξηρὰ δυσκρασία τοῖς νοσῶσιν. ὡς τε καὶ ἀνίατον ὑπάρχειν, ὅταν ἀκριβῶς συμπληρωθῆ. τὸ δ' ἀκριβὲς τῆς συμπληρώσεως ἴσιν. ἐν τῷ τὰ τῆς ξηραῖς ἰσίας τῶν ὁμοιμερῶν σωματίων γεγονέναι ξηρότερον. *Tempus curationis in sicca intemperie multò amplius quippe quod senium in sanis est, id sicca intemperies in agris. Itaque etiam iusambilis est, si prorsus sit consum-*

sum-

summata. Est autem prorsus consummata, ubi solida similarium partium substantia reddita est sicior.

IN SPECIE autem communis regula supra jam tradita existit: Hæctica incipiens facilimè curatur, difficilimè cognoscitur. Contrà jam confirmata facilimè cognoscitur, planè non autem curatur. Media inter has medio modo se habet.

MAGNITUDO cum adest, tum ob læsam partem præstantiorem, tum τῆς διαθέσεως dispositionis ratione, periculosam omnino pronunciamus.

Ἐκτικός πυρετός ἔ πάνυ δυσίατος, ὁ δὲ ἀκαθάρτης ἀνίατος. *Hæctica non adeò difficilem habet curationem, torrida autem & marcida nullam.*

TEMPUS quod attinet, licet non sit morbus acutus, tamen quò citius ad statum pervenit, eò periculosior est.

CAPUT XIX

prædictionem proponit sub- jecti ratione.

VARIAT illa, prout hæctica est vel simplex, vel inclinat ad tabem.

INCIPIENS primi gradûs difficilis cognitu, facilis curatu. Augescens secundi gradûs facilior cognitu, difficilior curatu. Consummata tertii gradûs facilima cognitu, difficilima curatu.

CAPUT XX

signa salutis & mortis à postes- sentialibus desumit.

EX SYMPTOMATIBUS optimè de eventu judicari potest. VITALES ACTIONES LÆSÆ, pulsus languidissimi & prostrationem virium summam indicantes, appetitus planè abolitus, nutritio itidem abolita.

ANIMALES deinde, ut respiratio parva & rara, vigiliæ
D perpe-

perpetuæ, lassitudo summa, delirium, sicut & GENITALIS OR
involuntarium seminis profluvium maximè depravata, nihil
spei relinquunt. Hæc omnia contrà mitiora, solatium adhuc
quoddam denunciant. EXCRETA ET RETENTA, ut &
QUALITATES MUTATÆ, urina oleaginosa, seu cui pingue-
do innatat, diarrhœa, capillorum profluvium, cutis arida
& squalida in modum corii, faciesque tandem Hippocratica
certissimi mortis sunt nuncii.

CAPUT XXI

prognosin salutis & mortis à cau- fis & similitudine petit.

CAlor quò mordacior, eò peior, notat enim omnis hu-
miditatis absumtionem: quando verò non ampliùs
à tangente percipitur, agonizantem denotat.

NATURALES CAUSÆ. Senibus hectica accidens ob ca-
lorem nativum debilem humidique radicalis paucitatem fa-
talis. Contrà in ætate virili & juvenili constitutis ob viri-
um robur calorisque nativi abundantiam spes reconvalescen-
tiæ superest. In annum climactericum incidens, item hære-
ditaria periculosa.

Inter **NONNATURALES** est aër, qui tempore æstatis
ob caliditatem & siccitatem periculum auget. *Ευφορία* post
somnia, cibum & medicamenta assumpta spei aliquid suppe-
ditat. Contrarium malum. *Hectica ab irâ & mœrore na-
tæ pessimæ*, ait *Eminentiss. Dn. Præses tract. de febr. cap. 68.*

PRÆTERNATURALES CAUSÆ. A febris ardente,
putridâ seu pestilenti, lue venereâ, partium cordi vici-
narum inflammatione seu putredine hectica originem tra-
hentes periculosissimæ; contrariò modò ab ephemerâ pluri-
um dierum ortæ se habent.

SIMILITUDO etiam aliquid præfagit. Si enim alios
similibus symptomatibus laborantes mors secuta fuerit, idem
de cæteris præfagire queo.

CAPUT

CAPUT XXII
signa longitudinis & brevitatis
manifestat.

ARduum est *τὸ quando* in morbis determinare, præp-
rimis in iis, qui non judicantur, ut acuti, sed lentè &
successivè, qualis est nostra hectica. Sumuntur hæc signa

I. **AB ESSENTIALITER INHERENTIBUS.** *Τὰ νοσήμα-
τα ἐν χρόνῳ ἔκ ἔχοντα τὸ μόνιμον, ὀλυγὰ, τὰ δὲ ἐν ἔξῃ, δύσ-
λυγὰ.* Morbi in habitudine qui nondum acquisiverunt perma-
nentiam, facilè & brevi solubiles; in habitu verò difficulter
sanabiles, ut febris hectica. Quò etiam citiùs hectica
ad statum pervenit, eò celeriùs quoque terminatur & qui-
dem ad mortem; si verò tardiùs, potest præveniri & ad salu-
tem terminari, antequàm statum illum attingat.

2. **A POSTESSENTIALIBUS**, quandò scilicet ea sym-
ptomata, quæ paulò ante cap. XIX. fuère recensita, vehemen-
tiora sunt, mortem ante fores præfagiunt; si mitiora vel
planè absint, contrarium judicato.

3. **A CAUSIS NATURALIBUS** occulto modo agenti-
bus v. g. ex themate natalitio, annis climactericis, quæ vi-
deantur apud Astrologos, *Junctinum*, *Firmicum*, *Ranzo-
vium* & alios plures. Ætas senilis, dispositio hæreditaria,
calidum nativum debile, mortem quoque accelerare possunt.

4. **PRÆTERNATURALES** causæ, ut *causus*, ob jamtùm
maximè absumtam humiditatem, febris pestilens ob venenosam
malignitatem, *putrida* tùm prægressa tùm concomitans, ob
indicationes contrarias brevioris misero ægro vitæ infelicio-
ris exitum portendunt.

CAPUT XXIII
signa modi eventûs tàm ad salu-
tem, quàm ad mortem traden-
do *περίγνωσιν* absolvit.

Cum suprà dictum : hecticam, quia non sit morbus acutus, non subito sive per crisin terminari, sed *χρῆσθαι* *βραχὺ*, *sensim* & *quasi sine sensu*, testudineo molli incedentem pede terminum attingere salutis & mortis. Salutis quidem exoptatum portum attingere sciendum, quandò absumtæ partes restituuntur, calorque p. n. extirpatur; mortis verò, quandò fibrosæ & membranosæ partes sunt absumtæ. Id autem non subito fit, sed longum tempus requirit.

CAPUT XXIV

curationis fores aperit.

*Q*uæstio *quid*? præsupponit quæstionem *an*? Antequàm igitur ad curationem transgrediamur, disquirendum: *an hectica sit curabilis*?

De incipiente seu primi gradûs res videtur salva, ut & de auctâ sive secundi gradûs; confirmatæ autem manum auxiliatricem admoveere, periculosum videtur: magna quippe inter medicos ventilatur controversia: an morbi incurabiles attingi debeant?

Galenus & multi negare videntur, potiusque honestam fugam suadent. Cum igitur hectica confirmata sive marasmus ab omnibus ferè incurabilibus annumeretur, certissimaque via ad mortem à *Francisco Joële loco suprà citato* nuncupetur, planè ipsi deneganda videtur curatio, cum medici existimatio succedente infelici eventu labascet, nobilissimæque artis fama periclitetur.

Verùm longè aliud christiana dicitur charitas, ægrum scilicet à medico non esse deserendum, dum adhuc spirat: licet enim nulla spes reconvalescentiæ adsit, nostris tamen remediis naturæ succurrendo prohibere possumus, ne terminus vitæ à Deo præfixus anticipetur, ac ita nos non prohibendo, cum potuissemus, interitum maturemus: eò tamen allaborandum, ut astantibus periculum delinèemus, futurumque eventum prælagiamus, ægrum verò consolemur ac omnium morborum optimum remedium patientiam commendemus.

mus.

mus. Hanc controversiam prolixè decifam vide in *sapè citatò ordine & methodò med. spec. comm. ut& medico politico Roderici à Castro cap. 17. & 18.*

CAPUT XXV

methodum curativam hujusque indicationes commendat.

Deteclâ morbi essentiâ per signa, operam demus, ut finem nostrum sanitatem scilicet assequamur. Hoc, sicuti in reliquis artibus, per media ad finem ducen-
tia fieri assolet. *Methodò* itaque *curativâ*, quæ nobis per indicationes auxilia horumque materias ostendit, opus habemus.

Defumuntur verò INDICATIONES à rebus vel *secundum naturam* vel *p. n.*

1. **PRÆSERVATORIA**, respondet causæ morbi, est-
que 1. *pura*, quæ causam nondum facientem morbum aufe-
rendam esse ostendit & accedit ad *ὕγιεινήν* conservatricem
medicinæ partem. 2. *mixta curationi*, quæ dirigitur ad cau-
sam actu facientem morbum.

Præservatio strictè sumta hecticæ non competit, quia caret causâ continente, annuente *Galeno* *ii. meth. cap. 2.* he-
cticam, dicit, habere tantum curationem non præservatio-
nem, quia curatio soli morbo, præservatio causæ morbificæ
debetur. Si verò præservatio non ita strictè sumatur, sed pro
remotione causæ cujuscunque hecticam antecedentis, facile
concedi potest.

Præservatio fit vel *alteratione*, quandò humores vel par-
tes solidæ *ἀνεργασία* laborantes ad naturalem statum reducun-
tur: vel *evacuatione*, ubi *πληθώρα* seu *κακοχυμία* adest, fit-
que per *V. S.* purgationem &c.

2. **MITIGATORIA**, quæ symptomati opponitur. Sym-
tomata quoque indicare, neotericorum est sententia. Ita
dolor capitis in hecticâ urgens anodyna postulat, eaque vel

1. *παρηγορητικὰ mitigativa*, quæ ob similitudinem cum temperamento-partis eam demulcent. 2. *ἰώματα sanantia*, quæ causam doloris tollunt. 3. *ναρκωτικὰ somnum inducentia vel sensum auferentia*. Vigiliæ perpetuæ soporifera; lapsus syncopiticus cordialia sanguinemque tenuem alterantia indicant.

3. CURATORIA, respicit morbum. Hæctica consistens in intemperie vel simplici, nempe calidâ, vel compositâ, calidâ & siccâ, *refrigerandum & humectandum* esse pronunciat: causa enim haud postrema *juxta Thomam Willis de fermentatione cap. 2.* emaciationis est defectus humidi, nam cum aqua deficit, principia activa nimis arctè coeunt, sese mutuò atterunt & absument, cumque hâc ratione supplementum rescinditur, corpus emarcescit: humectandum itaque, quò elementa hæc ab invicem elongentur sive dislocientur. Refrigeratio etiam summè necessaria, unde *Virgil. lib. 3. Georgic. vers. 458.*

*Cum furit, atq; artus depascitur arida febris,
profuit incensos æstus avertere.*

4. VITALIS INDICATIO magni habenda, nil enim in morbis pejus, quàm virium lapsus, imò nullus ferè medicamentorum est usus, ubi vires sunt prostratæ.

Naturalis igitur constitutio membrorum præprimis principalium in hæcticâ attendenda, ita cordi cordialibus & appropriatis succurrendum.

Causæ hujus constitutionis humores & spiritus in justâ quantitate, qualitate, substantiâ & motu, cibis boni succi, subito in alimentum transeuntibus, vino etiam ὀλιγοφώρω, si necessitas efflagitet, conserventur & reficiantur.

Accidentia tandem hujus constitutionis sui conservatio nem indicant.

CAPUT XXVI

fundamenta indicationum recitat
& conditiones contrarietatis
examinat.

Hippocras

Hippocrates lib. de flatibus ait : ἰατρικὴ ἴσθι ἀφαιρέσις καὶ ἀφαιρέσις. Medicina est appositio & ablatio, unde sequentia emanarunt axiomata : Omne indicans vel sui ablationem vel conservationem indicat. Quod igitur s. n. conservandum ; quod p. n. tollendum. Contraria contrariis curantur ; similia similibus conservantur.

Intemperies igitur hectica calida & interdum sicca simul per contraria refrigerantia & humectantia corrigenda. Hæc contrarietas non solum ideæ ac essentiæ hecticae, sed ejus causæ atque accidentibus respondeat. Diligenter insuper observandum, ut respectus habeatur ad statum naturalem, ita non sufficit simpliciter refrigerare & humectare, sed *neque excessivè*, ne naturalem constitutionem destruamus, ex uno extremo in alterum incidamus, ac novum morbum frigidum excitemus ; *neque parcè*, ne acrasiam potius augeamus, vel morbi partem relinquamus. Constet itaque temperamentum ægri naturale.

Porrò non unâ vice sed pluribus intemperies corrigenda, cum omnis subita mutatio periculosa.

In symptomatibus contrarietas similitudinem etiam quandam interdum habeat, ita si dolori capitis anodynum *παινηροεικόν* adhibeas, respectu temperamenti partis erit simile ; dolori verò contrarium.

CAPUT XXVII

de rectâ indicationum administratione disferit.

U Sitatus aliàs est ordo, ut in curatione consentientibus indicationibus à causâ morbi incipiamus, ac dein progrediamur ad morbum : paulò verò antè dictum est, hecticam non habere causam continentem, (nisi calorem ita nominare cuidam lubeat) directè itaque invadendus est morbus ipse. Sed neque hoc sufficit, facilè enim quis in methodum medendi impingere potest, nisi prudenter indicantia, coindicantia, contraindicantia seu prohibentia atque permit-

tentia

rentia perpendat. Interdum enim, suspensâ aliquandiu morbi curatione, symptoma quoddam urgens vel indicans vitale tanquàm tyrannus omnem operam ad se rapit. Ita si dolor capitis urget, mitigandus; si vigilâ, somnus conciliandus; si syncope vel summa virium prostratio, cordialibus subveniendum, sanguisq; corrigendus. Hæc omnia peragenda sunt

1. **CITÒ**: nam & priusquàm incipias, consulto, & ubi consulueris, maturè factò opus est, ait *Sallustius de conjuratione Catilinae*.

*Vidi ego, quod fuerat primò sanabile vulnus,
suus dilatatum longæ damna tulisse mora.*

Festinandum igitur, præprimis ubi hectica statui est propior, nam hunc si attingit, nulla spes superest, semelque neglecta vitæ defensio, dum cunctamur, irremeabili fati conditione redimi amplius non potest.

2. **TURÒ**, ne nimis præcipites simus, sed omnia confideranter agamus.

Novimus quosdam, in quibuslibet morbis sine discrimine, ab initio quoque desperata medicamenta vel salutem vel mortem inferentia propinantes, verùm methodus medendi nobis aliud suadet: desperata non nisi necessitate extremè urgente adhibenda. Unde si vigilâ seu dolor capitis in hecticâ præpolleant, non statim opiata, sed mitiora anodyna tentanda.

3. **JUCUNDÈ**: medicamenta nempè grata, quantum quidem possibile, eligenda, ex hoc enim medicus apud delicatulos magnam sibi laudem conciliat, qui semper medicamenta ingratoris saporis ac odoris respuunt. Notandum tamen, quòd tò turò principaliter præreliquis, dein citò & ultimò jucundè sit attendendum.

CAPUT

'CAPUT XXVIII

materias auxiliorum per indicatio-
nem curatoriam ostensorum è
fonte chirurgico depromptas
producit.

Consiliò initò, hosti obviam eundum. Ingreдемur ve-
rò armamentarium tribus cameris distinctum.

In primâ, quæ CHIRURGIA appellatur, invenimus
V. S. sanguinem è venis sensibilibiter educentem, de quâ:
an simpliciter sit instituenda? quærere, non amplius est res
integra, cum ii, qui negent, jam diu sint exploti; an verò in
hecticâ sit administranda? paulò altiori eget indagine. Nos
in hecticâ propriè dictâ negamus: nam hujus fomes princi-
paliter hæret in partibus solidis, non in humoribus: licet
ergò V. S. sanguinem refrigerarem, statim tamen à partibus
solidis, quas alluit, recalesceret. Si quis tamen in hecticâ im-
minente, præsentè πληθώρα πρὸς ἀσθεῖα sive πρὸς δύναμιν,
locum habere posse contendat, cum ipso non litigabimus.

In ejus administratione respiciendum ad *permissentia* &
contraindicantia. Virium robur planè prostratum, quod à re-
bus naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus diju-
dicandum, prohibet.

In dimetiendo *quanto*, *quandò* & *ubi* prolixum esse,
operæ pretium haud erit, cum à nostro affectu admiranda hæc
maximorum aliàs morborum auxiliatrix vel planè non vel ra-
rissimè adoretur.

Parili ratione sentiendum de *arteriotomiâ*, ut & de *sca-
rificatione* cum vel sine cucurbitulis ac *hirudinibus* sanguinem
ex arteriâ ac venâ simul evocantibus, nec non de *cauteriis*, *ve-
sicatoriis*, *fonticulis*, succum à sanguine diversum educantibus,
reliquisque insensibilibiter evacuantibus.

E

CAPUT

CAPUT XXIX

materias è fonte pharmaceutico
scaturientes & quidem evacuan-
tes adducit, purgantes rejiciendo,
lenientes tolerando.

VEnæfectio & purgatio unius indicati sunt materiæ, ne-
glectâ igitur illâ, negligitur & hæc, ac tanquàm inido-
nea nostræ hecticæ debellandæ proclamatur, ne sicci-
tatem imminentem aut præsentem promoveamus.

Ne tamen nimis rigorosi videamur, *ἐκκοπρωτικά* & *le-
nientia* concedimus, humores hæc excrementios in primis
viis stabulantes leniter ac modestè sine omni virium jacturâ
è corporis coloniâ detrudunt.

Tempus lenientia assumendi est vel matutinum, vel hora
una ac altera ante prandium aut cœnam. Vicem horum su-
stinere possunt *aloë*, *sirupus rosar. solutiv. violat. tamarindi*, *cas-
sia*, *manna* &c. Hæc, ut cujuslibet arrideant palato, in va-
rias formulas redigi queunt.

Rx. *aloës puriss.* ℥β. *succi violar. cum* ▽
endivie extracti ℥iij

Stent in leni calore, donec succus aloën extraxerit, cola,
inspissa.

F. pilulæ. D. S. *Laxer-Pillen.*

Dos. à ḡ. iij ad vj

Rx. *passul. minor.* ℥ij *fol. senæ s. st.* ℥β
sem. 4. frigid. maj. excorticat. a. ℥β *fœnic.* ℥j.

Contusa in mortario coque in ▽ *endiv. cichor. a.* ℥iv.
colaturæ adde

sirupi de cichor. cum rhabarb. ℥j *violar. solut.* ℥β.

M. D. S. *Lindertränclein.*

Rx. *decocti prunor.* ℥j *sirup. rosar. solut.* ℥iβ
extracti rhabarb. ℥j. M.

D. S. *Deffnungs-Saft.*

Rx. *ele-*

*Rx. electuar. lenitivi de mannâ vel diacass. cum mannâ ℥j.
cum sirupo ros. solutivo & saccharo a. q. s.*

F. bolus D. S. Desnungs-Zucker.

Et hæc fuere lenientia per os assumenda, quæ verò per inferius guttur injiciuntur, nominantur *clysteres*. Emollientes itaque & laxantes suam operam haud inanem ad solvendas obstructions, humoresque vitiosos educendos offerre videntur.

Rx. rad. alb. malvæ lilior. albor. a. ℥j.

herb. parietar. violar. nymphæ, a. Mj

flor. chamæm. malvæ, meliloti a. ℥j.

sem. fœnic. anisi a. ℥i℥. prunor. damasc. n. xij.

Coq. in s. q. ∇ font. colat. adde

cas. extractæ ℥iij. ∞ violar. amygdal. d. a. ℥℥.

M. F. clyster leniens.

Tempus est, quandocunque vitiosi humores obstructionesve sentiuntur.

Modus pharmacopœis est notissimus.

Si ægri recusent clysterum usum, suppositoria è melle, birra picrà, ⊖ gemmæ &c. paratu facillima sunt substituenda.

Quod reliqua totum corpus evacuantia, diaphoretica, diuretica &c. spectat, cum ab humoribus indicentur, corpusque siccius reddant, in hecticâ, ubi defectus adest humorum, ac partes solidæ primariò adfectæ, parum solatii afferent.

CAPUT XXX

ad diu desiderata alterantia, confortantia & specifica tandem accedit.

Acuratoriâ vitalique indicatione supra nobis inculcatum fuit: *refrigerandum, humectandum, viresque reficiendas ac conservandas esse*. Arripiamus autem tales materias, quæ huic triplici scopo simul inservire queant, suntque

suntque sequentia è tribus regnis vegetabili, minerali ac animali desumpta.

1. RADICES acetosæ, buglossæ, tormentilla, vincetox. borag. satyrii.

2. FOLIA acetosellæ, cichor. endiv. nymphæe, plantag. portulacæ, alsines.

3. FLORES rosar. violar. borag. buglos. nenuphar.

4. SEMINA 4. frigid. maj. & minor. cydonior.

5. FRUCTUS & baccæ, amygdal. dulc. pineæ. pistac. uvæ passæ, aurant. berber. ceras. acid. citria, fraga, mala borsdorsiana.

6. LIGNA sandalorum species.

7. MINERALIA, TERRÆ, LAPIDES &c. unicornu fossile, lapid. 5. pretiosi, bolus armena, perla, mater perlar. pp. lap. bezoar.

8. LIQUIDA. AQUA nymph. acetos. borag. &c. Sirupi acetositatis citri, rib. viol. berber. ceras. acid. perlar. aureus Johann. Anglici apud Sennertum descripti, perlar. Mynsichti, resumtivus Renodei, cardiacus F. F. Essentia seu sanguis satyrii Paracelsi. Julepi rosar. viol. Confectio alkermes, de hyacinth. pretios. Mynsichti, smaragd. Tinctura rosar. corall. spiritus ☉ corallifat. spiritus ☉ vulgaris & roridus. Elixir citri cordiale. Mistura cordial. vital.

9. SPECIES diamargarit. frigid. de gemm. frigid. Poterius butyrum suum margaritarum antihæcticum, item aliud antihæcticum ex ♂ ♂ & ♀ paratum summopere commendat, descriptionem vide apud Rolsincium in chimiâ in artis formam redactâ lib. 5. sect. 2. cap. 41. & sect. 7. cap. 3.

Ex his & aliis variæ formulæ possunt concinnari:

Rx. diamargarit. frigid. ℥iij

sapphiri, smaragdi pp. a. ℥j.

M. F. pulvis D. S. köstlich Hergpilsverlein

Dosis ℥iß in cochl. ij ▽ caponis compositæ.

Rx. pulpa coxar. ranar. capon. in ▽ rosar. & endiv.

coct. & contus. ℥iß

semin. 4. frigid. maj. a. ℥j. amygdal. d. excort. ℥ij

pinear. mundat. ℥iß

macerentur per hor. j. in lacte, contusis adde

radic.

radic. cichor. portul. condit. a. ʒij
magister perlar. confect. de byacintho a. ʒj
cum saccharo albiss. in ▽ ros. dissoluto F. l. a.
morselli D. in scatulâ S. *Sonderbare Morzellen.*

℞. nucleor. pinear. pistacior. semin. cucurb. a. ʒij,
amygdal. dulc. excorticatar. ʒiij
macerentur per hor. 12. in ▽ rosar. & viol. adde
specier. de gemm. frig. ʒij sacchari albiss. ad duplum.
M. F. l. a. panis martius, dosis ʒß.

℞. conserva flor. cichor. nenuphar. a. ʒiß,
acetosa ʒj, radic. satyrion. cichor. condit. a. ʒij
spec. diatragac. ʒiß confect. alkerm. reg. ʒj.
sirup. de cortic. citri, perlar. a. q. s.
M. F. electuarium D. S. *Stâreklattwerge.*
Dos. ad magnitud. castaneæ.

Johann. Hieronymus Pulverinus, Professor Neapolitanus in
medic. practic. de curand. febr. cap. 17. commendat sirupum ma-
gistralem de cervone seu serpente necnon impinguativum Nicolai
Florentini, ut & sirupum de cancris. Johannes Prævotius, in re-
mediis selectioribus pag. 18. sirupum à capone Hispanicum magni-
facit.

Hippocrates & Galenus in incendiis febrilibus aquam fri-
gidam crudam magni aestimârunt, nullamque febrim extingui
posse sine illâ sibi planè persuasêre. Trallianus in quantitate
assumendâ tam liberalis fuit, ut ægro tantum, quantum lu-
buerit, bibendum concesserit. Verùm hodiè à proceribus
medicinæ rejicitur ac aqua hordei aliæ itidem destillate præ-
feruntur.

℞. hordei mundat. Mß, passul. minor. ʒij.
radic. acetosa, cichorii a. ʒiß.
semin. anisi, fœniculi, a. ʒij.

coq. in s. q. ▽ fontanæ ad crepaturam hordei,
colaturæ adde

sirup. viol. uvar. maturar. a. ʒiß

Spiritus ⊕ q. s. ad gratam aciditatem. D. S. *Gerstenwasser.*

Præfert Joannes Prævotius loco citato sequens hordea-

rum;

E 3

℞. hor-

Hordeum

Incomoti

Rx. hordei mundi q. s.
maceretur horis 6. coquatur, ut dissolvi possit, pas-
setur, dein'

Rx. amygd. dulc. extortic. ℥ij
sem. mundat. cucurb. ℥j melon.
papav. albi, lactuca a. ℥β

contusis omnibus cum aquâ hordei lac eliciatur, mixtum cum
℥ij pulpæ hordei, coquatur parùm, adde sacchari por-
tionem.

Rx. rad. cichor. lactuca, acetosella a. ℥j
fol. alsines, plantag. endiv. a. Mβ
flor. nenuphar. rosar. viol. a. pij
semin. portulacæ, plantag. a. ℥iβ, anisi ℥j

Coque in s. q. feri lactis ℞. colaturæ adde
sirupi corallior. ℥j de borag. limonib. a. ℥β M. D. S.

Kühl- und Stärck-Träncklein

Conferre quoque maximè videntur aquæ : caponis com-
posita, sangvin. humani, quam tamen ob caliditatem spiritui vini
ardenti similem Primerosius de febr. contemnit, è cancris fluiat &
ostreis, confortativa usitata, limac. pulmonum vituli, cordial. frig.
impingvativa Prævotii, serum lactis destillatione à parte salinâ
liberatum, succoque citri mixtum insignes alterandi dotes
præstat, item spiritus roris majalis.

Ex aquis & sirupis julepi alterantes ac confortantes deli-
catori palato gaudentibus præscribi queunt.

Rx. spir. ror. majal. ℥iib. flor. borag. bugloss. a. ℥j
julebi rosar. violar. a. ℥β
tinct. rosar. ℥j sirupi granat. acid. ℥iβ de ideo, nenuph. a. ℥j
spir. ☉ corallifati q. s. ad grat. acid.

M. D. S. Alterir. Zulep us erlichmahl.

Rx. ▽ ceras. acid. cordial. frig. a. ℥iβ fragar. lactuca, a. ℥j
tinct. corall. ℥vj. succi citri, berber. a. ℥iib
sir. perlar. de portulacâ a. ℥ij confect. de hyacinth. ℥ij
magister. perlar. smaragdi pp. a. ℥j

M. D. S. Köstlich Stärckwasser.

Dos. cochl. ij iij ad vj

Emul.

Emulfiones ob gratissimum saporem similitudinemque cum chylo confici possunt è fructibus, *amygd. dulc. nucleis pinear. pistacior. seminibus 4. frig. maj. & min. papavere albo.* Edulcorantur *saccharo, julepis, sirupis.* Interdum adduntur *preparata, magisteria.*

Rx. amygd. dulc. excortic. ℥j nucl. pinear, pistac.

euucleat. a. ℥℔ sem. papav. albi ℥iij. melon. lactuc. a. ℥ij

F. emulsio cum capon. compos. ℥vj ros. flor. borag. a. ℥iij

edulcoretur julebo ros. ℥℔. man. Christi perl. ℥iij

adde

perlar. pp. ℥℔ s. gemm. pp. a ℥℔

F. l. a. emulsio. Dosis ℥ij ad ℥iv.

CAPUT XXXI

confortantia & alterantia externa adducit.

EXternè *epithema refrigerans & confortans cordiale Mynsichti* sinistrae cordis regioni applicari potest. Dorsi regio ad refrigerandum sanguinem in arteriâ magnâ & venâ cavâ contentum sequenti *unguento* potest inungi

Rx. unguent. viol. Mesue, cremor. lact. muliebr. a. ℥j

axung. capon, ℥℔ ol. pingved. hum. ℥i℔

limac. ranar. a. ℥℔ cere alba q. s.

M. F. unguentum. D. in fictili S. Rücken Sälblein.

Pulsibus topica possunt imponi

Rx. flor. rosar. ℥ij. spec. diamargar. frig. ℥ij

cortic. citri recent. ℥ij gran. cherm. ℥℔

campboræ ḡ. viij. croci oriental. ℥℔

M. excipe duobus sacculis sericis D. S. Puls. Säcklein.

humecta ∇ cordiali frigidâ.

Veteres multum spei in *BALNEIS* ob insignem attrahendi & humectandi vim collocârunt. *Galenus* modum balneandi *lib. 10. meth. cap. 10.* prelixè describit, ac interalia, ægrum post balneum calidum in aquam frigidam descendere jubet. *Periculosum remedium!* subita hæc atque excessiva refrigeratio corpori-

corpori-

corporibus heclicorum extenuatis facile fatalem inferre potest noxam. Hodie in usu habemus balnea tepida ex aqua vel simplici, vel additis, herbis malva, branca ursina, fol. salicis, tilia, lactuca, capit. papav. prius coctis, decocto itidem capitum vel intestinorum vervecis, lacte communi aut ebutyrato, oleo amygdal. dulc. nenuphar. violar. ranar.

Tempus sit, quando ventriculus est vacuus, iusculum tamen sive confortans minimè denegari debet. Alvus ante ingressum exoneranda. A sudore abstinendum Immorandum, quoad vires permittunt. Exiens aeger linteis tepidatis abstergendus, posthac aqua rosarum, seu, secundum multorum sententiam, oleo rosaceo, &c. inungendus. Lectulo tandem imponatur, ubi confortantia propinanda, usque dum post horam elapsam cibum capere queat.

Felix Platerus praxeos lib. de febr. usum thermarum experientiam comprobat.

CAPUT XXXII

symptomata urgentia removet.

Supra audivimus, symptomata interdum tanto furore saevire, ut relicto morbo omnem operam ad se dirigant, videbimus jam, quasnam materias nobis fons pharmaceuticus suppeditet.

Dolor capitis à sulphureis atomis causticam suam mordacitate membranas cerebri pungentibus proveniens mitigandus.

Vigilia ab iisdem atomis spiritus animales fervidiores reddentibus ac hinc inde agitantibus ortæ removendæ.

Retinendorum nimis fluxus colliquativus, si urgeat, sistendus, quos tres parietes unam fideliâ dealbare possumus, nempe anodynis.

Primò itaque *παινησενικα* adhibenda, si hæc non juvant, *ιωμυρα* tentanda, sin neque hæc, *ναρκωτικα* in auxilium vocanda.

Emulsiones *ex papav. albo*, ∇ *fior. papav. rhead. &c.* *semin. 4. frig. maj. & min.* suavis itidem musica summoperè somnum

num promovent. *Dolori capitis epithemata & frontalia ex* ▽
destillatis & sacculis ex floribus ac seminibus valdè conducunt

Rx. flor. violar. nymph. rosar. rubr. meliloti a. p̄j,
semin. papav. albi ʒij nucl. persic. n. vj

Excipiantur serico rubro duplici. F. frontale, humectetur aquâ
lactuce, solani, rosar. nenuph. a. q. s.

Retinendorum nimius fluxus adstringentibus bolo armenâ,
terrâ sigill. sanguine dracon. croco & adstring. sistendus.

His tribus symptomatibus tempore necessitatis sufficit
laudanum opiatum ritè præparatum, medicamentum auditu
apud vulgus horribile, effectu tamen sanctum, ex quo con-
ficitur *magisterium anodynum in Rolsincii chimiâ in artis formam*
redactâ lib. 5. sect. 2. cap. 4. descriptum.

CAPUT XXXII

fontem diæteticum intrat.

Quandò hostis irruptionem in regionem quandam facit,
ut plurimum perfidi quidam incolæ inveniuntur, qui
ad hostem transfugiunt, omniaque auxilia adversus
reipubl. suppeditant, & talis transfuga tantum noxæ rei-
publ. infert, quantum ne centum quidem hostes.

Parili ratione accidit, cùm morbus corpus nostrum in-
vadit, perfida quippe quædam membra plerumque ipsi ascen-
dunt ac operam suam perjurie offerunt: omnium verò scele-
rissimum membrum est ventriculus, inquietus semper ac re-
bellis, tempore tum pacis, tum belli, reipubl. microco-
smicæ civis, qui fores hosti irrumpenti non solum libenter ape-
rit, sed & noxia arma ac comæatum & admittit & allicit, illa
verò, quæ à medico corpori in auxilium mittuntur, respuit,
transitumque denegat. Vigilet igitur ratio, tanquam supre-
mus reipubl. microcosmicæ gubernator, ne quid noxium &
hostile sub specie amicâ irrepat. Hoc ut eò melius fiat, obser-
vet leges à medico præscriptas, quæ consistunt in *legitimo sex*
rerum nonnaturalium usu ac vocatur *DIÆTA*.

Nos igitur cum potentissimo hoste pugnantes, eò quoque
maximoperè allaborare debemus:

F

CAPUT

CAPUT XXXIII

diætam naturalem præcipit.

CIBUS QUOAD FORMAM assumatur *solidus* ad restau-
randas solidas corporis partes amissas : *forbilis* ac *hu-*
midus, ad siccitatem per effluvia humidæ substantiæ in-
troducãam corrigendam.

QUOADMODUM SUBSTANTIÆ sit *εὐχυμῶν, εὐπεπτιῶν, καὶ λιώδης.*

IN QUANTITATE CONTINUA respiciendum ad vir-
tutis præprimis concoctricis robur, ne nimis ingurgitando,
pravi humores generentur. *Inedia* in aliis febribus summè
conducibilis hîc studio vitanda. Largius temperamenti ca-
lidi, juvenes &c. cibent.

TEMPUS sit consuetum. Τὸ δὲ σιωηθῆς ὁμοίον τῇ φύσει, con-
suetum nature simile.

QUALITATEM quod spectat, illa indicatur ab intemperie
febrili in caliditate & siccitate consistente. Victus itaque sit
frigidus & humidus. Hujusmodi cibi sunt *ptisane*, quarum *cre-*
mor præsertim *avenaceus*, additis *uvis passulis*, magni æstimatur.
Ptisanam extemporaneam hordaceam vide apud *Johannem Præ-*
votium in medicinâ pauperum pag. 730. *Panatella* ex pane fili-
gineo, admistis *feminibus melonum & ovo*, in aquâ coctum
Itali celebrant. *Fuscula* pullorum, imprimis caponum, ex
amygdalis dulc., *uvis passis*, *aq. ros.* pane filigineo &c. pa-
rata, quorum descriptionem *vid. in ord. & meth. med. spec.*
comm. lib. XIV. sect. 1. cap. X. *Emulsiones* suprâ traditæ salu-
berrimum usum præstant. *Panis* optimus censetur filigineus,
similagineus & triticeus: calidus noxam infert.

A *piscibus* abstineat æger, quamvis enim sint frigida &
humidæ naturæ, difficilis tamen concoctionis & facile putre-
scunt: si tamen avidè desideret, assumat *saxatiles* & quosdam
è *fluvialibus*, cujusmodi sunt *cobites barbatulæ Rondeletii* sive
funduli Schmerlen/Bründlinge/trutta Forellen/thymalli Aschen/
& alii facilioris concoctionis: *vanarum coxæ* in jure caponis
elixatæ valdè profunt. *Cochleæ* in jure pullorum coctæ benè
nutriunt. *Gammari fluviales* ob difficilem concoctionem cul-
pantur

pantur ab his; ob bonum succum laudantur ab illis. Horum juscula non rejicienda. *Pulli, capones, phasani* optimi sunt nutrimenti: *perdix, alauda, merula, rusticula silvatica* &c. conceduntur. *Anseres, anates* rejiciuntur, illorum tamen epata ritè præparata non contemnenda. *Ova* in sartagine frixa, assa sive dura damnantur; *forbilia verò* luccoq̃ue citri aut \ominus correcta in hecticâ proclamantur innoxia. *Caro vitulina, agnina, capreolorum, saluberrima, suillam, veterumq̃ue animalium relegamus.*

An *lac* febricitantibus conducatur, disceptatur. Nos hecticis, ubi non complicatur putrida, innoxium ac saluberrimum pronunciamus: Præpollet *muliebre humanum*, succedit *asininum*, sequitur *caprinum*, concludit *vaccinum*. A coagulatione, caseatione ac corruptione præservatur addito pauxillo sacchari vel mellis *Galenus 5. meth. cap. 12. & 10. meth. cap. ult.* In ejus usu tamen plurima observentur: æger ex uberibus mulieris sanæ, bonis cibis nutritæ exsugat. Animal in ipsum cubiculum ægri inducendum jubet *Galenus*, ut calidum assumere queat. Post usum ne nimis moveatur. Reliquas condiciones in usu lactis observandas vide apud *Hippocratem 5. aph. 64.* Quando diarrhœa seu colliquatio adest, chalybeetur *lac*. Animal quoque, quod lac reddit, herbis refrigerantibus ac humectantibus nutrirî potest.

Lactuca, endivia, portulaca, cum passulis minoribus ritè præparatæ omninò admittuntur.

Pruna damascena, cerasa acida ob humectationem & laxandi vim locum quoque habent.

Saliti nimis cibi, aceti & aromatum immoderatus usus summoperè nocent.

POTUS hecticis non denegandus, sed potiùs ad restituumdum humidum commendandus.

Materiam quod attinet, *aquam crudam* rejectam; cum *bordeo, passulis* &c. coctam concessam suprâ audivimus. *Cerevisia* optimè fermentata ac defecata, imprimis *Numburgensis*, quæ blandè humectat ac refrigerat, eligenda; *triticea*, licet nutriat, caliditatem tamen auget.

F 2

Vinum

Vinum tenue concedendum, illud maximè, quod Itali vocant *limoniade*. Paratur è vino, aquâ fontanâ, limonibus, additis passulis minoribus, cinamomo & saccharo.

Hûc referenda videtur *chirurgia infusoria* dicta, nuperrimè inventa, ubi, ægris omnem ciborum per os assumptionem averfantibus, mediante parvulo clystere venæ cuidam ampliori, qualis mediana, liquor quidam nutritius ac cordialis, (in formâ forsan elixir, emulsionis, mixturæ &c.) infundi potest.

CAPUT XXXIV

diætâ vitali & animali concludit.

IN VITALI occurrit *æër*, qui sit temperatus vel naturâ vel arte.

Corrigendus tempore æstatis refrigerantibus ac humectantibus conclavi inspersis, ut sunt *folia salicis, vitis, endivia, portulacæ, flor. rosar. violar. aqua rosar, frigida simplex &c.*

Hieme autem corpora vestibus ab externâ frigidi æëris injuriâ defendantur, ægrique hypocausta calefacta ament.

Murandus etiam interdum, similisque illi, qui circa urbem illam *Persia Ectabana sive Tabris* dictam, invenitur, eligendus, adeò salubris namque ab *Adamo Oleario in Itinerario Persico* proclamatur, ut non incolæ tantùm ab omnibus febribus sint immunes, verùm & aliundè profectos febricitantes restituat.

ANIMALIS absolvitur

Motu & quiete: ille nimius vitetur, ne intemperies calida augeatur, viresque debilitentur. *Vigilie* ob exsiccandi vim vitentur. *Alvus* suo fungatur officio, segnior calorem augens lenientibus instigandus. *Veneris usus*, in aliis febribus à vitio seminis originem trahentibus bonum remedium, vires valdè dejiciens, corpus exsiccans, optimumque succum alibilem surripiens, intermittendus. *Cuncta animi pathemata*
omni-

omnibus modis vitanda, qualia præ cæteris ira, mœror, sollicitudo, terror, omnium maximè illa, à quibus malum hocce natales suas accepit.

Hæc omnia licet dura cuidam videantur, respondemus tamen cum Ovidio 1. remed. amor. v. 225.

*Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fatemur
esse, sed ut valeas, multa dolenda feres.*

Recordemur Tiberii flagitiosissimi quoad cætera monstri, qui tam strictam diætam exercuit, ut sine adjumento consiliove medicorum multos annos prosperrimâ sanitate usus fuerit.

Possemus nunc, absolutâ hecticâ simplici, ad compositam descendere, peculiaremque tradere curationem, sed veremur, ne dissertatio nimis excrescat. Insuper qui hecticæ simplicis naturam curationemque benè tenet, facilimè judicare potest, quid in complicatâ agendum, ubi quidem pugnantibus inter se indicationibus contrariis trepidabit aliquatenus curatio, attamen semper primariò respiciendum ad indicans magis urgens.

Hæc sunt, quæ, quanta per ingenii nostri imbelliam temporisque injuriam licuit, afferre voluimus, spe certâ confisi, æquò animò acceptum iri. Nil curamus intereà insulforum quorundam Momorum, felicitatem aliorum limis ægrisque oculis introsipientium, stoliditatem.

DEO verò T. O. M. pro impertitâ nobis gratiâ perennes agimus gratias.

FINIS.

F 3

CLARIS-

CLARISSIMO
ZAPFIO,
VINARIENSI,

pro

LICENTIA

Summum MEDICINÆ gradum adsumendi

publicam adscendenti cathedram

EUGE. BONUM. FACTUM.

adclamat

Guernerus Rol-
fincius, Phil. & Med. D. Præ-
les & Academiae RECTOR,



Errone, ZAPFI, laudis cuius indoles
virtutis altæ graditur ad fastigium,
longèq; curru mentis ætatem pigram
post terga linquit, dum sacratam A-
pollini

sectaris artem, *ὕμνη* cuius præles est:
quòd auspicato te vehat ad metam gradu
generosus ardor, indolesque industriæ
probata, commendo, vovens felicia.

Majo-



*Ajorum tangis celebri vestigia cursu,
ZAPFI, sublimi feriturus vertice
cœlum*

*Artis Apollinea, cujus Tu captus
amore*

*perdius & pernox penetralia frangere magno
hactenus aggressus conatu es. Hygea coronam
conferat his meritis dignam, nomenq; secundo
omine multiplicet. Liceat, VVILHELME, me-
deri*

*Benevoli adfectus monumentum Licentiato
Clarissimo erigit*

Joh. Theodorus Schenck

Med. D. P. P. h. t. Decanus.



*Uc ades, informi macie infestatus a-
dusque,
quisquis es, ex fugens te, mollibus or-
sa medullis:*

ZAPFIUS ecce tibi fiet Podalirius,
abs hoc

est inventa malo felix curatio tali.

*Nobili, ac Clarissimo
DN. LICENTIATO
acclamat FELICITER*

Joh. Arnoldus Friderici, D. P.

Oris

Wie Adel und wie hoch HERRN ZUPFENS
sein Verstand/
Den Er mit grossen Fleiß an EHRNDES Kunst
gewandt/

Bezeuget diese Schrift: Drüm trägt Er nun den Lohn/
Der Tugend schönsten Sold/ die Ehren-Krohn davon.
Mit diesem wenigen wolte seinen Hochgeehrten
und Bornehmen lieben Freund zu be-
glückwünschen / nicht ermangeln

Georg Neumarc / Secr.

Gib mir dein Hertz/ Mein Sohn/ ich will dich Weisheit
lehren /

So läßt sich/ ist mir recht/ die Weisheit selbst dort hören/
Die liebe Mutter die / wohl uns mein Hertzens- Freund/
Die wir von Jugend auff derselben Kinder seind.

Ich das geringste zwar weis noch kaum nach zureden/
Was unsre Mutter sagt / und mus vor Schaam erblöden/
So sie mich etwa fragt: du aber bist so weit /
Daß dir die Mutter nun die höchste Ehre weis.

Ich gönne dir / mein Freund / und wünsche lauter Glücke/
Ich freu mich selbstem mehr / so ich mich nicht berücke/
Als du dich immer freust: dann Freunde machens so/
Behs nur dem einen wohl / ist schon der andre froh.

Beh' nun / mein Freund voran / wir wollen ferner hören /
Was uns die Weisheit wird hinführo gutes lehren.

Ich stelle mich mit dir vor ihren schönen Thron/
So offt sie auch nur ruffe: Gib mir dein Hertz / mein
Sohn.

zu Bezeugung seiner Schuldigkeit sagte solches in Eil auff / und
überschiffte es von Leipzig des Herrn LICENTIA-
TI Diener und Schwager

Johann Heinrich Albert / J. C.

E N D E.

Coll. diss. A 214, msc 7